

46 AUXILIANTE JEHOVA! 99
DE
S O M N I I S

DISPUTATIO PHYSICA;

Quam

permissu Ampliſſ: FACULT. PHILOS,
Regiæ Academiae Aboënsis,

Sub DIRECTIONE,

Ampliſſimi atqve Celeberrimi Viri,

DN. M. PETRI HAHN,

In dicta Acad. Phys. Profess. & Bi-
blioth. Regii & Ord. Præceptoris &
Promotoris perpetim colendi.

*Publico Candidorum Examine modestè
submittit,*

ALEXANDER MODELIN,
Smol.

In Auditorio Maximo, ad diem 9 Junii,

AN. M. DC. XCVIII.

horis ab 8 consuetis.

Exc. apud JO. LAURENT. WALLIUM.

DE

SOMMERS

DISPUTATIO PRIMA

DE

ARTIBUS FACULT. PHISICAE
REGIAE ACADEMIAE ALBERTINAE

ANNO MDCCCXXXV

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

M. P. F. T. H. H. H.

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM

ALEXANDER MODERUS

AVIARUM

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

AVIARUM IN THEATRO CAESARIO

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Magnæ Fidei VIRO,

ac

Domino Reverendissimo,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI

Excellentissimo & Celeberrimo,

Dioeceseos Aboënsis EPISCOPO

Eminentissimo,

Regiæ ibidem

Academiæ PRO-CANCELLARIO

Magnificentissimo,

Nec non

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI

Gravissimo,

DOMINO & MÆCENATI Maximo.

FELICITATEM & ANNOS!



*F*ateor sanè, Reverendissime E-
 piscope, fateor inquam me videri
 posse audacia fines transiluisse, dum
 Reverendissimæ Paternitatis
 Vestræ oculis exercitium hocce Academicum
 leni penicillo adumbratum subjicere non sim ve-
 ritus; Verum ad hanc me adegit audaciam,
 insignis & ad astra quidem extollendus Reve-
 rendissimæ Paternitatis vestræ favor,
 cujus radius Reverendissima Paternitas
 Vestra in clientulum humilimum, quamdiu
 in plaga hac boreali hospes vixit, reflexit cla-
 rissimos, ideoquè mihi persuasum habeo, Re-
 verendissimam Paternitatem Vestram,
 eandem in meliorem interpretaturam partem.
 Et licet Reverendissimæ Paternitatis Ve-
 stræ beneficiorum nunquam satis decantandorū
 numerus major existat, quam ut à me dignis elo-
 giis efferi, minus compensari queat, pro viribus
 tamen enitar, ut Reverendissimæ Paterni-
 tatis Vestræ erga me meritorum memoriam
 nunquam deleat oblivio. Quid tanto Domino pro
 tot tantisque beneficiis rependam? ad pedes
 Reverendissimæ Paternitatis vestræ has-

ce ingenit mei, qualescunqve ex Musarum
Charitumqve gazis depromptas de Somniis
primitias, in devotum animi signum submisſe
depono, Et cum tam tenues ſint, ut illas
Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ a-
ſpectum ſubire, Veſtroqve nomini dicari ma-
ximè indignas eſſe ingenuè conſiteri neceſſum
habeam, dignitatem ac ſplendorem à Veſtro
nomine ut accipiant, humilimè oro atqve ob-
teſtor. Accipe Reverendiſſime Pater, ac-
cipe inquam, quod in devotæ obſervantiæ ac
gratitudinis pignus conſecratum ac dicatum
venio, & ejus Auctorem in poſterum ut hæte-
nus protege, juva, promove. Summum illum
Cæli Monarcham calidis ſuſpiriis, pro Ve-
ſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis Am-
pliſſima atqve nobiliſſima familia, ſollicitare
non deſiſtam. Vivat Reverendiſſimus E-
piſcopus Regi, vivat Suis, vivat mihi, ſuo-
rum Clientulorum humilimo, gratioſus Pro-
motor & Patronus Magnus. Vivat ſic in ter-
ris, ut æternum vivat in cælis, quod pio vo-
vet zelo, qui ſum, dum ſpiritus hos regit artus.

Reverendiſſimi DN. EPISCOPI

humilimus cliens

A. M.

*Pl: Reverendis, Doctissimis, Spectatissimis
& Prudentissimis DOMINIS,*

DN. JOHANNI BARRER/
Ecclesiarum DEL, quæ in Barckard & Nâpîs
colliguntur, Pastori digniss:, Avunculo tuo
Optimo, Parentis instar reverenter colendo.

DN. LAURENTIO WALLEONIO,
Pastori in Gllisby & Seolberga meritissimo
& vigilantissimo, Patri suo benignissimo,
quovis filiali cultu æternum suspiciendo.

DN. ERICO Klint / Pastori in
Jæfhnâs & Forsarum laudatissimo, Bene-
factori & Fautori, sincera mente venerando,

DN. JOHANNI ulmstedt / Pastori
in Swartorp & Jæfernd optimè merito,
Fratri & Fautori suo, fraterno aff. tu ætatem
prosequendo.

DN. ISRAELI Barck / per Dynastiam
Cronoberg; Commisario prudentissimo, A-
vunculo suo charissimo, Evergetæ nunquam
non honorando.

DN. CANUTO Wâfman / Legionis
pedestris Junec, Secretario accuratiss. Affini
suo & Benef. multis nominibus honorando.

DN. ISRAELI BARCHENIO, Sacellano
in Barckard & Nâpîs dignissimo, Conlo-
brino & Fratri suo sincerè dilecto.

SALUTEM ET PACEM A DOMINO!

Quoties etiam summa benevolentiae,
quoties inquam beneficiorum, Avunculi,
Parens & Fratres, Domini maximè colendi,
in me à teneris unguiculis collatorum venerabundâ mente recordor,
recordor autem inditès, atq; recordatus sum ab illo tempore,
quo illustrem hanc ad Auram Academiam accessi;
totiès agrè fero, quod sales quales à me operatis,
ob invidiam fortune, quæ mihi sub gelido hoc axe comes stetit,
offerre nequeo studiorum fructus, quibus gratitudinis reverentiæquè
in Vos mea tesseram humilimam præbeam. Vestra, O Avunculi,
Parens & Fratres, Domini maximè colendi, mihi semper aperte
fuère benignitatis fores, Vestraq; beneficia, quibus absq;
ullâ temporis atq; loci ratione me cumulastis,
tot tantaquè sunt, ut ad eorum commemorationè
stupida hæreant cogitationes meæ, illa proindè
impresensiarum potius venerando involvam silentio,
quam tenera voce decantabo. Si verò copia mihi suppeteret
talibus Vos ornare muneribus, qualibus Alexandrum
Magnum Bagophanes ille Babylonicus excepit,
mihi ex animo gratularer, ejusmodi verò careo;
quid ergò retribuam? nihil habens præter hanc
Chartaceam Machinam, cum me ipso Macenatibus ac patronis dico ac dedico,
non eâ tamen intentione, ut benignitatis

*in me merita compensata existimem, sed ut
aliquod gratitudinis relinquam indicium.
Suscipite itaque quæso, Avunculi, Parens,
& Fratres, Domini maximè colendi, lineas
hasce rudi pingvique Minerva elaboratas,
fronte serena, manu benevola, suscipite inquam
quæso voluntatem pro re ipsa atque offerentis
affectum non effectum assimate, quod etiam
Vos facturos spes est certa, cum minimè nesciatia
in magnis voluisse sat esse. De cæteris, benigno,
Fautores optimi, mihi deinceps adspirate favo-
rio, quo mihi currenti, ad altiora, DEO fa-
vente, tentanda, addatis calcas, qui dum in
vivis sum non intermittam felicia Vobis appre-
cari fata.*

Vestrarum Evergetarum & Dignitatum

obsequentiissimus filius

& observantissimus cultor

A. M.

Ar-

Artium liberalium, ac sanioris Phi-
losophiæ, Cultori indefesso &
Præstantissimo,

DN. ALEXANDRO
MODELINO,

Ob eruditionem, & morum tum inte-
gritatem tum elegantiam, mihi
magnopere dilecto,

Ῥηιδίας ὁ φερέσθω ἔνεργός σέο μεχ-
θῶ
φίλησθ' ἑταῖρ', εἴη καὶ κάρπιμος ὄγλι-
μάλισσα!

*Hoc scheidiasma occupatis-
simus reliqui*

DAVID LEONDI/
SS. Theol. Prof.

Viro - Juveni

*Bonarum Artium Virtutumq; strenuo
Affectatori,*

DN. ALEXANDRO MODELIN,
De SOMNIIS, proprio Marte solertèr dil-
lerenti, Amico & Commiliti perpe-
tuum adamando:

S*omnia defraudant, ac Insipientibus alas
Addunt, ceu loquitur Pietas Sapientis
JESU.*

*Somnia qdì curat, ventos sectatur &
umbram*


*Captat, enim sunt mendaces sine corpore
Formæ.*

*Detegis illorum Naturam, mi Modeline,
Discursu docto, tua quem Solertia scripsit.
Ausis, ex animo, in tantis, tibi grator & opto
Felici porrò, pergas, ac omine fausto!!!*

L. Mq; adgratulabar

SIMON TARDI

Met. & Log. Prof. Ord. P. P.



Π Ρ Ο Δ Ρ Ο Μ Ο Σ.



*Q*uantum utilitatis moderata
secum affert vigilia, tan-
tum etiam commodi tem-
peratus communicat so-
mnus: quod enim vigilia,
si fuerit diuturnior, delassat, enervat, au-
fert; ille confortat, corroborat, addit. DEO
itaque ter Optimo Maximo in aeternum lau-
dando, tam sapienter ordinare placuerat, ut a-
nimalia quaeque ad recuperandas corporum
vires, alternis vicibus indulgerent quieti: ni-
hil enim perpetuum valet esse diuturnum; huc
quadrat verissimum Ovidii dictum:

Quod caret alternâ requie durabile
non est,
Hæc reparat vires, fessaq; membra levat.

Nulla autem requies præstantiorem se sistit
 somno; undè acutissimus Averrhoës somnum
 vocat animalium virium requiem. Cuiusum
 addit calculum Orator ille disertissimus Cicero,
 dicendo: somnum esse profugium omnium
 laborum & solitudinum. Et licet ad actio-
 nes per vigiliis edendas quodvis conditum sit
 animal; attamen cum longâ & multiplici sen-
 satione, nec non motu fatigatur, liquidum
 est, languorem hinc oboriri, caloremque inna-
 rum per easdem absumi: necesse ergo est vi-
 res & spiritus per vigiliis exhaustos, benefi-
 cio somni restitui, ut ad omnia peragenda
 habilis evadat, quapropter somnus salutis
 causa animalibus est datus. Hujus nempe so-
 mni, cuiuslibet familiare, qui mortalitatis ju-
 go modo premitur, adjunctum est somnium,
 de quo subtili & scitu necessario argumento,
 breviditer dissertare in animum induxi meum,
 sed cum ob curtam ingenii supellectilem æquè
 non sit limatum opus, ac materiei postulat
 subtilitas, ideo C. L. rogatum eo, dignetur il-
 lud non limis inspicere oculis; sic enim credo
 fore, ut optato non excidam.

3

*Christe juva cæptum, conatus dirige nostros,
Ut labor in laudes desinat hicce tuas!*

M E M B R U M I.

§. I.



È solennis Philosophorum consuetudinis in elaboranda aliqua materia, explicatione nominali omissâ, transilire videamur limites, nè quoque nobis nunc in secretioris Philosophiæ latifundium tendentibus remoræ aliquid immineat, proindè definitionem nominalem seu ὀνομασλογίαὶν haud magno verborum apparatu producere tentabimus, præsertim cum vox illa, quæ dissertatiunculæ huic nomen imponit, cuius inqvirenti indolem suam facilè pandat. Vocabulum somnii non aliunde quam à somno : ille autem à græco ὑπνός, ab antiquitate sypnus, postea sopnus dicto : Græcorum quoque ἐνύπνιον ἀπὸ τῆς ὑπνός, natales ducit suos. Latini secuti græcos variis somnia insigniêre nominibus, cum ea appellâ-

rint Visum, Somnium, Insomnium, Oraculum, Visionem; quæ nomina fundantur in variis apparendi modis, & aliis circumstantiis, in quibus curiosè exponendis nos occupari, utilitas eorum non tam svadet, quam brevitatis illa amabilis dissuadet. Sumitur autem vox somnii pro 1. vaga vigilantium phantasia. 2. Inani & vana re. 3. Sermonibus, quibus nullæ subsunt causæ. 4. Somnolento & inerte homine. 5. Pro imaginatione in somno, variè scilicet in cerebro discurrentibus spiritibus, qui sunt cogitationum instrumenta & efficiunt simulacra. Hæc ultima acceptio est instituti nostri.

§. II.

Præmittendis ita plenioris evidentiæ ergo simpliciter præmissis, etiam ea, quæ ad somnii naturam illustrandam pertinent tractare pergamus. Sed nè navim prora carentem fluctibus commisisse videamur, è re esse censemus, si alias procedere volumus juxta normam in Schola Philosophorum receptam, ad *πραγματολογίαν* seu definitionem realem ejus-

5
ejusque evolutionem imprimis accessum facere. Et licet plurima sententiarum apud multos magni nominis Viros hac in re definienda sese obtulerint divortia, earum tamen varietate recensenda superfedemus, suam cuique sententiam modestè relinqvendo, nè quid hic præ tam magnæ indaginis Viris ac Philosophis sapere videamur, & sequentem definitionem ut genuinam, solidioremve judicii vim redolentem lætis, ut ajunt, amplectimur. Ulnis, quam Clarissimus noster Sperlingius nobis exhibet talem: *Somnium est Phantasma animalis dormientis, cerebro obversans, Phantasie operatione factum.* Hæc ut optimè sese habet, ita ex eâ fluere omnia clarum est, quæ scitu necessaria nobis excutienda imponit præsentis instituti ratio.

§. III.

Allatam hanc somnii definitionem sub incudem examinis revocare proximum nostrum erit opus; Et nè leges Logicas negligere videamur, definitio-

nis prædicatum in conceptum convenientiæ seu ipsum Genus, & disconvenientiæ, alio nomine differentiam specificam dispelcimus. Conceptus convenientiæ seu generis loco attendendum se nobis primum sistit vocabulum *Phantasma*, quod calamo quodam brevi heic loci depingere haud incommodè conveniat. Dicitur visum seu Phantasma, quoniam exteriora sensilia species quasdam sensibus imprimunt: harum vestigia etiam remotis sensibilibus in cerebro remanent, & sunt materia somniorum: Nam in hujusmodi sensoriorum affectione idem evenit, quod in jactu lapidis, qui quidem in aëre movetur, manu remotâ quæ ipsum projecit.

§. IV.

Hæcce paucissima de genere seu conceptu convenientiæ dicta sunt, animum cum calamo jam ad differentiam sive conceptum disconvenientiæ convertere volumus. Qui exprimitur
 1. Subjecto. 2. Causa efficiente. Illud duplex in definitione exhibetur, remotum

rum nimirum & proximum; Prius aliàs Subjectum quod, & quidem primarium, *animal* audit. Rationalibus non tantum, sed irrationalibus quoque animalibus competunt somnia, utpote Eqvis, Canibus, Felibus, Bubus, nec non Ovibus & Capris, denique generi omni Quadrupedum: id enim manifesta eorum declarant indicia, Eqvorum nimirum dormientium jactationes, & inprimis Canum per somnum concitatorum latratus, quem sanè non ederent, nisi haberent in somniis occurrentes rerum imagines; Idem ex capris & aliis calidioris sanguinis animalibus in confesso est, quæ somniorum terriculamentis sæpè agitantur, repenteque expergiscuntur. Hominibus tamen plus quam cæteris animantibus competere somnia statuendum est; Nam illi ob tenuitatem sanguinis, copiosiores in cerebrum emittunt vapores, & subtiliores & ad operandum promptiores habent internos sensus quam Bruta. Produuntur tamen, inquit Aristoteles lib. 4. de hist.

animal: & Viri & Mulieres, qui nunquam quicquam somniarint, quorum nonnullis in processu ætatis accidit, ut viso somnio mutarentur habitu sui corporis vel in morbum, vel in mortem. *Atlantes* etiam non somniare fertur, ob nimiam procul dubio, spirituum crassitiam.

Hic locum habet dubia & controversa illa quæstio: *An infantibus accidant somnia?* negativam licet defendere contentur aliqui, cum obscura sint atque confusa illorum somnia, ideoque pro non somniis habenda, quâ de re Aristoteles lib: 4. de hist: animal: c. 10 *Editis*, inquit, *nuper in lucem, & infantibus adhuc, nullum penitus contrahitur somnium, sed plurimis anno circiter quarto aut quinto ætatis visa incipiunt;* Eorum tamen sententiis eò minus subscribimus, quò clarius oppositum perlvadet ratio, docent Medici, & experientia rerum Magistra, comprobant. Argumento est, quod etiam anno primo in somno risum moveant, somnum edant, nutent, apprehendant;

dant; pavores etiam per somnum infantibus adfunt. Vid. Plin: lib: 10, c. 75. Tertull: de anim: c. 49. qui infantibus quoq; somnia tribuunt. *Observavimus*, inquit Gal: L. aphorism. Comm. 3. num: 24. *non in tantillis solum, sed etiam in etate perfectis fieri per somnos imaginationes, quando multi & vitiosi humores gravant & mordent ventriculum, praesertim ipsius os.* Unde cum Vossio concludimus: quod omnino somnium licet imperfectius, iis fit tribuendum; vestigium enim ejus distinctum vel profundum satis cerebro non est impressum. Allatum quod attinet Aristotelis dictum, idoneis fundamentis destitutum sua sponte corruere, jubare meridiano clarius constat: ille enim proprio, ut dicitur, se jugulat gladio, alio loco expressè dicendo: *infantes somniare lib: 7, de hist: animal: cap. 10.* quod etiam veritati consentaneum esse, ob adductas modò rationes, autumamus.

§. V.

Præterea datam juxta definitionem

debet animal, cui somnium obvenit, esse *dormiens*: nulli enim vigili obtingunt somnia. Quod autem Insanis, Phræneticis & ægrotis etiam quædam obverfantur imagines, licet somniis perquam sint similes, eæ tamen sunt excludendæ, cum singularia sint phantasmata exturbatissima cerebri temperie orta. Vid Coll: Conimb. l. de insomn: c. 6. q. 3. Nam interdum facultate sensitivâ operante, sensibusque singulis tam internis quam externis intentis atque occupatis, species in iisdem relictæ magna ex parte evanescent, & à motu obrui solent: noctu verò quiescentibus sensibus exterioribus universis, nec non ex internis sensu communi (hic enim cessantibus illis, habet quoque ferias) emergunt, & ad sensuum fontem ac imaginationem delabuntur, & evidentiores evadunt, licet non quovis somni tempore occurrant: non enim se offerunt inter dormiendum phantasmata, nisi rarefcente humorum copiâ, ut jam jam declarabitur; Et quamvis somnium sit

visum quoddam, attamen tale, quale in somno profundo sese offerat intelligendum: nam quicquid in somno se præsentat somnium vocari nequit. Sic qui inter quiescendum debilitè exaudiunt canum & Gallinaceorum voces, & mox experrecti veras fuisse apertè cognoscunt, somniasse dicendi non sunt; Nec somniant qui ad interrogata respondent, & contrectationem sentiunt, quamvis languidè: nam illud tantum somnium est, quod animalibus profundè dormientibus & nihil sentientibus occurrit.

§. VI.

Posterius verò subjectum Quo, seu proximum & quidem secundarium, ubi exultantis naturæ ludus, tanquam in suo theatro exhibetur, *Cerebrum* esse subinnuitur. Sicut enim cerebrum Somno afficitur; ita quoque somnio. Huic obversantur species ab externis sensibus relictæ, est enim Phantasiæ Organum. Hoc verò debet esse purum quodammodo à crudorum halituum copia,

piâ, dum enim repletum est istis vaporibus, species nequeunt dignosci, vel n. dissipantur vel offuscantur; undè prima pars somni, quæ vigiliam excipit, profunda sit, visorumque expers, ob ligationem sensuum & externorum & int: ex copiosiore alimenti vapore. Copiâ autem vaporum rarecente, & sanguine qui in Sensoris impedimento erat, remoto, similitudines rerum latentium pro halituum paucitate, vel multitudine, tenuitate vel crassitie sese offerunt. Ut Aquæ vehementer agitatae nulla apparet imago, vel maximè distorta atque tortuosa, illâ autem quiescente, pura redditur atque expressa; ita & inter quiescendum, phantasmata & motiones quæ per sensus haustæ superflunt, præ majore humorum in cerebro errantium tumultu & agitatione prorsus addensantur, obliterantur atque exolescunt; vel præposteræ, horribiles & prodigiosæ apparent visiones, undè ingrata prorumpunt somnia, utpotè Melancholicorum, Vinolentorum, Ægrotorum

rum & Furentium. Hinc satis patescit dormientibus somnia non evenire, tempore vaporum ex imperfecta ciborum concoctione ascendentium, istâ vero coctione peractâ, sanguine tranquillo atque defæcato, humoribus quoque quiescentibus, phantasmatum species conservatas pura grataque efficere somnia.

§. VII.

Efficiens Causa, eaque principalis somniorum, est *Phantasia*. Haud ullum tam hebetis esse ingenii nobis perlvademus, qui sensibus exterioribus ut causis somnia tribuerit, consequentè & productivè, licet antecedentè, cum hi in somno à functionibus cessent suis, ob negationem descensus spirituum animalium in eosdem, qui species sensibiles ab iis ad cerebrum devehant: nam spiritus animales descendere nequeunt, quia obstructa est via, vaporibus versus cerebrum ascendentibus, & nervos & meatus sensorios implentibus. Reliquum ergo est, ad sensus internos respiciamus. Ad

sensum communem somnia referri ne-
 queunt, is enim ligatis Externis, à qui-
 bus species recipit, feriat. Proinde
 Phantasiam ut causam eorum princi-
 palem admovendam censemus. Hæc
 enim sensibus externis quiescentibus se-
 se exserit, & otiosa non est, sed occupa-
 tur circa species sensibiles, five rerum i-
 magines indè usq; à plurimis sæpè annis
 ac temporibus in memoria conservatas,
 vario modo contemplandas, volvendas,
 ac revolvendas, quas sibi sub manum,
 ut ita loqvar, datas arripiendo, easque
 inter se diversimodè componendo, rem
 quasi ludicram facit: nam repræsentan-
 tur in somno non modò quæ fuère &
 sunt præteritæ, sed & res quæ nunquam
 extitère; quia somniamus etiam mon-
 tes aureos, hoc modo diversorum ori-
 tur per quietem objectorum repræsen-
 tatio, quod sequenti allegoriâ ex Tho-
 masio excerpta, declaratum ibimus. *No-
 sti inquit, virgunculas atate puerili delecta-
 ri solere suis pupis, ac sunt etiam filiabus
 divitum ciste quedam certæ, in quas con-
 jice-*

jicere solent, quicquid crepundiorum de hoc
 genere per annos diversos feriæ, quas nosti,
 decembres attulerunt. Quemadmodum Ergo
 tales virgunculae, ubi libido venit fallendi tem-
 poris, processum aliquem instruere solent ex di-
 versorum temporum pupis, & eas conjungere,
 quæ nec alioqui fuerant conjunctæ, nec aliàs,
 si seria res ageretur, videbantur conjungen-
 de: Sic & Phantasia nostra per quietem, sæ-
 pè ex memoriæ theca complicat, quæ nec vi-
 gilantibus nobis conjuncta unquam apparu-
 erant, & per naturam rerum nè quidem po-
 terant conjungi. Ista tamen operatio mi-
 nus perfecta est, sed ut in delirantibus
 Phantasia malè cohærentia conjungitur:
 ita & in somno minimè cohærentia
 conjunguntur. Undè rectè dicuntur *so-*
mnia dormientium deliria, deliria autem vi-
gilantium somnia. Prætereà haud parum
 valoris afferunt ad istam inconcinnam
 & ineptam imaginum coaptationem
 vapores mobiles, spiritusque turbantes,
 quorum copia febribus sæpissimè inest,
 quam ab causam febrili morbo corre-
 pti, insomniis hujusmodi maximè gra-
 van-

vantur, undè natum etiam proverbium:
per febrem somniare.

Nec Sisyphi saxum volverimus, si hi-
sce addamus, haud minimi momenti
qvæstionem, *cur scilicet durante somnio
videamur nobis non fictæ, sed veræ interesse rei?*
brevitati litantes paucis tantum datæ
qvæstioni faciemus satis, respondendo:
Si sensus communis per quietem esset
solutus ut operari valeret, hujusmodi
falsa objecta visa pro veris minimè ac-
ceptaremus; Verum cum hic sit liga-
tus, & officium præstare nequeat suum,
idecirco fidem adhibemus iis, quæ in so-
mno repræsentantur, donec experrecti
rem aliter se habere comperiamus.

M E M B R U M II.

§. I.

Ut jam pro modulo ingenii simplici-
tèr doctrinam affectionum somnio-
rum absolvimus: sic nunc restat,
monente institui ratione, rerumque or-
dine, ut pedem ulterius promoventes,
aliquid etiam de illorum divisione dica-
mus,

mus, ad quam dum iudicii nostri aciem devolvimus, non magis Camæleonem in colore, quam auctores in illa exprimenda varia alere seminaprehendimus; nè autem in errorum devia & syrtes impingamus, divisionem in quatuor Somniorum genera, *Divina nimirum, Diabolica, animalia & naturalia*, ut commodissimam, consultum ducimus arripiendam, secuti hac in re *Admodum Reverendum Atque Ampliss. S. S. Theolog. Professorem And. Wanoebium*, in suo *Tractatu de facultate imaginativa.*

§. II.

Nobis jam per DEI gratiam divisionis Somniorum Palatium ingressuris, januam aperient divina: sed in ipso lumine occurrit Aristoteles *lib: de divinat: c. 1.* negando Somnia divinitus inspirari; Et eandem cum Aristotele inflat buccinam Hermolaus Barbarus, hoc uterque suffulti argumento: si Somnia divinitus essent immittenda, utique optimis tantum, sapientissimis atque prudentissimis deberent concedi,

at falsum est consequens, E. & antecedens. Probationem sumunt exinde, quod constat somnia quibusvis indiscriminatim immitti, quemadmodum inferioris, non minus, quam superioris sortis hominibus, bonis & malis obveniunt. Verum hic auctoritas sacrarum scripturarum nos ab Arist: & Hermoiao secedere jubet, quæ illorum doctrinam firmo non stare tulo, sed impiam & sacris literis contrariam esse, evincit: ut videre est. Num. 12. v. 6. *Si quis inquit Dominus, fuerit inter vos propheta Domini, apparebo illi in visione, vel per somnium loquar ad illum.* Et ad Joëlem ejusdem lib. c. 2. v. 28. quæ deinde verba Petrus in concione ad Judæos repetit. Act: 2. v. 17. *καὶ οἱ θεανόστοι ὑμῶν ὀργαίσι ὄψονταί, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται.* Gen: 4. v. 8. dixit Josephus pincernæ & pistori Regis Ægyptii Pharaonis, Somnium una nocte videntibus: *Nunquid non DEI interpretatio est somniorum?* Et c. 41. v. 1. 16. de Somniis Pharaonis Josephus affirmat: *quæ facturus est DEUS ostendit Pharaoni.*

Divinum erat Somnium Regis Assyri-
 orum Nebuchodonosoris, quo narrato,
 dixit Regi Daniel, cap: 2. v. 28. *DEUS*
magnus ostendit Regi, quæ venturae sunt po-
stera. Præter hæc, alia per plurima scri-
 ptura & abundè suppeditat Exempla,
 tam in Veteri Test: utpotè Abrahamæ,
 Jacobi, Josephi, Salomonis, Danielis;
 quam in novo, videlicet Josephi sponsi
 Mariæ, Magorum, uxoris Pilati. Quæ
 omnia Aristotelem & ejus Asserelas im-
 pietatis & erroris insimulare videntur.

§. III.

Non ingrati rem nos facturos
 speramus, si heic juxta S. S. normam
 indicatum eamus, DEUM olim cum
 hominibus quadruplici modo egisse,
 nempe 1. Sub forma visibili assumpta,
 veluti Mosen allocutus est circa pro-
 mulgationem decalogi in monte Sinai.
 Exod: 20. v. 1. 2. *Loquebatur autem Domi-*
nus ad Mosén facie ad faciem, sicut solet lo-
qui homo ad amicum suum. cap. 33. v. 11.
 3. Per subjectam creaturam, & tunc

non visus, sed auditus est solum, sicut Abrahamo & Jacobo per angelos apparuit, Gen: 18: 2. 32: 1. Mosi de medio rubi ignei Exod: 3. v. 2. adde Joh: 12. v. 28. Act. 9. v. 4. 5. 6. 7. in Somniis, tunc nec visus, nec auditus est, sed Phantasiæ modis imperceptibilibus sese insinuavit: ut movebat Phantasiam Jacobi in Ægyptum descendentis. Gen: 46. v. 2. Salomonis in Gabaon abeuntis. 1. Reg: 3. v. 4. 5. Danielis cap. 7. v. 1. seqq. Zachariæ Prophetæ. cap. 1. v. 8. seq. Magorum. Matth: 2. v. 12. Et Josephi Sponsi Mariæ cit. cap. v. 13. δ. Elevando mentem occultâ quadam inspiratione ad apprehendenda ea, quorum apprehensioni ex se erant homines impares. Posterior hic modus fit vel per raptum, vel citra raptum, quorum ampliolem qui desiderat explanationem, consulat Mart: Schogkium *lib. de Ecstasi pag. 81. 82. seqq.*

Cum scire maximum refert, *cur DELIS* *vel ἀμύσως, vel ἐυαίως in somno cum hominibus egerit, idcò palato arridet apponere*

cau-

causas, quarum prima est, juxta Hypoc-
 cratis sententiam, quod animus homi-
 nis vigilando variis tumultuantium re-
 rum curis distractus, variisque studiis
 & affectibus æstuans, tempore somni
 externorum sensuum functionis liber,
 aptior sit ad mysteria cœlestium rerum
 percipienda. Secundam subministrat
 causam Aristoteles lib. de div. per in-
 somn: dicendo: Majorem erga res di-
 vinas reverentiam conciliare noctis si-
 lentium. Tertia exindè liquet, quod
 quæ per vigiliam nobis offerri solet,
 humanæ rationis trutinâ expendamus;
 res verò in somno oblatas, omisso omni
 examine, acceptamus. Et has ob cau-
 sas DEO somni tempus eligere visum
 fuerit, ad arcana nobis revelanda. Quod
 autem nunc temporis Somnia rarius
 à DEO nobis suggerantur, præsertim
 juxta articulorum fidei meditationem,
 fit ratione claritatis Evangelii, docen-
 tibus Theologis, quod Somniis ad suæ ex-
 plicationem minimè indiget.

§. IV.

Veluti tenebræ lucis sequuntur abitum, ita *Somnia Diabolica* divinorum sequuntur enucleationem. Hæc DEUM, illa Diabolum auctorem agnoscunt suum. Hic Diabolicorum Architector, ut pater mendacii omni enititur studio. ut mendacibus etiam hominum mentes pervertere queat visis, humores sc. & spiritus turbando, varieque species in phantasia componendo: Quod autem malus ille genius potis est in phantasia agenda, tot variorum proh dolor! testimonia, quot sagarum & lamiarum aliorumve impiorum historiae eunt comprobatum. Notum enim est Dæmonem interdum sagis per *Somnia* varia suggerere symptomata, profundo eas unguento perunctas somno sepeliendo, iidemque dormientibus variam agendorum Objectorumve seriem subjiciendo, quo tandem excusso somno, commellationibus, saltationibus nec non congressibus, quales optant, cum Dæmone, se interfuisse indubiè credunt, variaque

quæ theatra, viridaria, piscationes, vestes, Ornatus, formosos juvenes, imò Reges & magistratus cum satellitibus atq; adeò omnem humani generis pompam vidisse sibi persuasum habent, quæquam non inficias eundem Dæmonem interdum suorum mancipiorum corpora localitèr transferre ad impia conventicula. Talia fuerunt Somnia quæ olim subrepebant Ethnicis, horum suscipiendorum gratia ad aras procumbentibus, nec non lymphaticis hominibus & Manichæis: hodiè verò Anabaptistis & Enthusiastis, de quibus eruditè scribit Peucerus. Videtis Zoolog: Sperl: pag: 106.

Hujus Generis somnia à divinis facile internoscuntur. Hæc enim concordant cum verbo DEI revelato; Illa verò sunt
 1. frequentèr accidentia, resquæ futuras aut occultas significantia, quarum cognitio facit ad inanem curiosæ scientiæ ostentationem, vel etiam ad aliquid mali perpetrandum. 2. impura & obscæna, quæ sanctis, sobriis & castis hominibus objiciuntur. Satanæ maxime stu-

det quiescentium corpora tetrīs contā-
minare Somniis, ut anima expergiscen-
tium horum aliquo etiā modo red-
datur particeps. Ejusmodi tamen So-
mniorum culpa ā Diabolo piis immis-
forum penes homines non residet, quia
nullam ā voluntate eorundem habent
dependentiam: si verò homo experge-
factus delectatione hujusmodi somni-
orum capiatur, obnoxius fit peccato;
sin autem ob illa angitur, excidit tua
spe Diabolus, homine victoriam repor-
tante.

§. V.

Succedunt nunc *Somnia animalia*,
quæ ex præteritorum speciebus, quas
phantasia interdū concepit, reservatis,
ortum ducunt suum. Sic Sacerdotes in
somnia interdum solent concionari, Phi-
losophi disputare, Clausidici rixari, un-
dè Lucretius:

*In somnis eadem pleriquè videmur obire,
Clausidici causas agere & componere leges,
Induperatores pugnare & praelia obire,
Nauta contractum cum ventis degere bellum.*

Quò

Quò etiam respexit Claudianus, in-
quiens:

*Omnia quæ sensu voluntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurige Somnia currus,
Vanaquæ nocturnis meta cavetur Equis.
Me quoquæ musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet.*

Sic Ennio somno obversabatur Home-
rus, de quo vigilans sæpè cogitârat.

Ejusdem quoquæ farinæ sunt So-
mnia, quæ ad aliquem animi affectum
& perturbationem spectant. Sic qui ar-
dentèr amant, frequenter somniant de
amoribus, avari de pecuniis, de quibus
Salomon inquit: ubi thesaurus, ibi cor.
Libidinosi de mulierum colloquiis &
amplexibus. Ambitiosi de honoribus a-
liisquæ mundanis. Venator somniat ne-
mora, montes & feras. Miles tubarum
sonitus, vulnera, cædes. Piscator maria,
flumina. Hinc lepidè apud Theocri-
tum piscator:

Πάντα κύνων ἄρτους κἀντιθέεται, Ἐξ Ἰωνῶν κ' ἠγυῖαν.
 Somnia sunt canibus panes, mihi Somnia pisces.
 Quod Suetico idiomate aliàs effertur:

Suggan drömmier om draf.

§. VI.

Somniorum juxta datam supra divisionem claudunt agmen *Naturalia*, quæ ex corporum affectione, temperamenti indole, humorum incurfionibus, aliarumquæ caufarum viribus nascuntur. Hinc *sanguinei*, qui ex copiofiore fanguine redundant, res fomniant lætas atquæ jucundas, utpotè convivia, muficas choreas, hortos, prata, flores, rofas, aliaquæ amœna. *Cholerici*, ex prædominante flava bile, cruenta, belliquæ & incendii plena, populationes urbium agrorumquæ, fœpequæ hi volare fibi imaginantur. *Phlegmatici*, & quibus multa infidet pituita, aquas, imbres, nives, grandines, mare, flumina, natationes, navigationes, fubmerfiones, pifcationes, oneraquæ gravantia, fugamquæ retardantia, & alia fimilia. *Melancholici*, quos Melancholia infestat, triftia, for-
 mi-

midolosa, funera, tenebras spissas, atros-
 què fumos, vagationes per loca solita-
 ria, vetustarum ædium rudera, imò
 mortem, Diabolum atquè infernum.

§. VII.

Hùc quadrat genus illud Somnio-
 rum, quod Incubus, Svecicis Maran/
 Græcis ἐφιάλτης, ab ἐφάλλεσθαι, h. e. insa-
 liendo nomen habet; quod hoc malo
 vexati, se ab aliquo invadi, graviquè o-
 nere incumbente premi, & veluti ab ho-
 ste strangulari somniant; undè Avicen-
 nas suâ lingvâ Strangulatorem appellat.
 Cujus tamen affectionis recordantes
 expergefacti, falsam imaginationem
 fuisse agnoscunt. Est autem passio hæc
 quam incubum vocamus, *respirationis of-
 fensio, & vocis interceptio, corporisquè oppres-
 sio*, sicut definitur à Dan: Sennerto Med:
*à vapore crasso, posteriora potissimum cerebri
 obstruente, ut spiritus animales ad liberam
 respirationem & motum edendum prodire ne-
 queant.* Omnes enim ferè actiones ani-
 males in Incubo læduntur. Nam ima-
 gina-

ginatio depravatur, sensus est torpidus, facultas motrix, quæ respiracioni, voci & motui membrorum infervit laborat. Id autem fit præcipuè ratione obstructi-
onis posterioris cerebri meatuum ad i-
nitium spinalis medullæ tendentium, qui spiritus animales Organis sensûs & motûs deferunt, ex vaporibus crassis, tetricis, viscidis & nocivis, in cerebrum exhalantibus, hinc vox impeditur, & phantasia visis tristibus turbatur; ele-
vantur autem tales vapores à crassa pi-
tuita, aut humore melancholico in hy-
pochondriis, & circa præcordia hæ-
rente. Supino corpore cubantes maxi-
mè hoc morbo corripuntur; sic enim
spina dorsi cor propius feriens, liberum
ejus motum impedit. Unde etiam qui
supini dormiunt, facilius stertunt, quam
qui in alterutrum latus decumbunt: In-
dè causa hujus morbi definitur, quod sit
*ἀναθυμίασις εἰς κεφαλὴν ἀνατρέκασαι ἐξ ἀδθη-
φασίας καὶ ἀπεψίας.* Hinc etiam pueri
huic morbo inprimis sunt obnoxii ra-
tione *ἀδθηφασίας*, quâ vitiosis humores col-
lecti

lecti, vapores multos in caput remittunt; sæpè etiam ob vermes in intestinis natos. Atque hinc quoque pavores qui per somnum in pueris existunt, de quibus Hypocrates 3. aph. 24. Narrat quoque quidam apud Cœlium Aurelium, Romæ aliquando hunc morbum epidemicum & publicè grassantem fuisse, & multos instar pestis jugulasse, cuius quoque mentionem facit Dan: Senn: Med:

§. VIII.

Hanc ad doctrinam referri quoque solet symptoma eorum, qui vulgò Noctambuli, seu *νυκτοβάται*, vel *ὕπνοβαται* Somnambuli vocantur, qui dormientes noctu è lecto inscii surgunt, & operationes facultatis locomotivæ mirum in modum exercent, vigilantium munia obeundo non tantum, sed etiam quæ vigilantes quamvis omni conitantur studio, agere non valent, sc. periculosissima intrepidè peragunt, loca solitaria & admodum formidolosa omni absque metu pervagantur, in puteos

de-

descendunt, & Felicitèr ex iisdem a-
 scendunt, imò per trabes ambulat, ædi-
 um fastigia sine scalis, atq;vè altiora
 loca scandendo superant, variaq;vè alia
 factitant, quorum tamen, manè somno
 excusso, nè gry quidem recordantur,
 aut si reminiscantur, ea pro somniis
 habent. Exempla talium Somnambu-
 lorum suppeditant auctores perplurima,
 inprimis Pet. sal: *diversus de aff: part: c. 18.*
 Jac: Horst: *in comm: de Noctamb: And:*
 Libav. *part. 2. sing. vr. 8.* unum tamen, vel
 alterum in medium afferre allubescit,
 Mirum & quidem ridiculum est illud,
 quod de nobili quòdam fertur, qui nudus
 in somno surrexit, indusium manibus
 secum gestans, per funem in culmen do-
 mus se elevavit, ibiq; expugnato picarum
 nido, pullos indusio involutos secum in
 lectum detulit, quod horribile visum vigi-
 lanti, & factum consideranti. Alius somni-
 ando de re equestri, surgebat, vestes &
 ocreas induebat, parietem conscendebat,
 & in illo veluti Equo, divaricatis genibus
 sedebat, pullabat, agitabat. De Juvene

quodam contentioso & bilioso narratur, qui noctu surgebat, gladios, arma, hastas comportabat, poliebat, vibrabat, & verbis acerbis adversarios quasi vigilaret, provocabat. Alius inimicum, quem sibi interficiendum vigilans proposuerat, interfecit. Causam hujus affectionis dicimus fortio rem esse appetitum, locomotivam ad aliquid agendum excitantem, sensibus omnibus ligatis, & consequenter etiam ratiocinatione. Appetitus ille dependet à spirituum dispositione, orta à vaporibus spiritibus permixtis.

§. IX.

Multis, ut ajunt, paralangis Physicorum variat cohors hac in re, cui nimirum, *temperaturæ Noctisurgium erit attribuendum?* Verum enim verò, quocumque modo se res habet, singulis singularem fuisse mentem, ad quam judicii aptarunt censuram, constat; Idcirco in hoc negotio nè multum desudemus, in eorum castra descendimus, qui Melancholicos ad hoc noctisurgium volunt pronissimos, auctoritate Vossii nec non

Salii, siquidem subtiles, fervidi ac Ætherei illis insunt spiritus, eorum insuper imaginatio, ut ad deliria promprior, ita fortis planè est, & ita quidem, ut, quæ semel animo conceperunt, pertinacissimè persequantur, ut nullis persuasionibus à proposito dimoveri queant.

§. X.

Porro insinuat sese conjectura, *an Noctambulones clausis, an verò apertis procedant oculis?* cum ambæ sententiæ suos habent patronos; nos ab utrisquè divortium facientes mediam tenebimus viam, statuentes eos non semper clausis, nec omni tempore apertis vagari oculis, sed ratione conditionis locorum, nunc apertis, feras nimirum aperiendo, pullos avium è nidis extrahendo, obviam factis cedendo, vel alia visum requirentia peragendo; nunc clausis, in locis præcipuè notis & non adeò remotis ambulando: quomodo autem tam mira ac vigilantibus difficilima peragunt, imò periculosa inoffenso pede per-

reptant, notuti facere, hoc opus, hic labor. Hunc tamen Gordium nodum fieri solutum censemus, si appetitui, cujus ductu Somnambuli, spiritibus animalibus ad exteriora eorum membra divagantibus, absque omni metu actiones suas aggrediuntur, hæcce adscribamus. Eam quoque ob causam ebrii, delirantes & phrenetici tantis pollent viribus, qui eadem temeritate ea sæpè perficiunt, eaque aggrediuntur pericula, quæ sobrii & sani facere nequirent. Hi Noctambulones, si in locis altioribus & periculosis excitentur, in vitæ discrimen adducuntur, nam propter spiritus ad interiora tunc refugientes, nervi & musculi robore privantur.

§. XI.

Dignum est causam inquirere, cur non omnes, sed quidam tantum homines, & illi iterum non quavis nocte, sed per certa intervalla, & alii frequentius, alii variis hoc laborent malo? Causam hujus rei proximam hisce paucissimis volu-

mus enucleare, dicendo: appetitum in
 iis esse validiorem, locomotivam agili-
 orem, & alacritatem ad res expedien-
 das majorem; imaginationem verò de-
 biliorem. Undè evenit, ut nec infantes
 & pueri, nec facilè Viri & senes, sed
 juniores & consistentis ætatis, noctisur-
 gio sint obnoxii.

MEMBRUM III.

§. I.

Ordo instituti & materiæ ratio nunc
 postulant, ut definitione & divisi-
 one Somniorum pro ingenii mo-
 dulo expositis, attendamus quâ fieri po-
 tuerit industria, *num aliquid ex illis præsa-
 gire liceat?* Circa hoc negotium in vari-
 as abiêre sententias Philosophi veteres.
 Tota Epicureorum secta prædictionem
 Somniorum prorsus sustulit: è contrario
 verò, Stoici singularem significandi vim
 Somniis adscripserunt, quæ de re nulla
 deriserunt Somnia. Ex sacris etiam dubi-
 um suboriri potest maximum de obser-
 vatione Somniorum: Nam illæ prorsus e-
 am

am improbant, Deut: 18. v. 10. II. Eccl. 5. v. 6. *ubi multa sunt somnia, plurime sunt vanitates.* Eccl: 34. v. 1. 2. *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram & persequitur ventum, sic & qui attendit insomniis.* Contrà, ostenditur ex historia Josephi, futura ex Somniis esse prædicta: Gen: 41. v. 16. ubi Josephus inquit: *Quæ facturus est DEUS ostendit Pharaoni, & Dan: cap. 2. v. 28. Est DEUS, inquit, in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi, Rex Nebuchodonosor, quæ ventura sunt novissimis temporibus.* In novo Test: Angelus Domini in Somniis hortatus est Josephum, ut acciperet Mariam & Filium, in Ægyptum abduceret & reduceret. Matth. 2. v. 13. In hâc varietate, media incedimus via, dicendo: Vanitatem esse omnia Somnia temerè observare, juxta illud:

Somnia nè cures, nam fallunt somnia plures.

Temeritatem verò omnibus in universum fidem derogare. *Somnia E.* quod attinet divina, dicimus ea conjunctam habere claritatem & prædictionem.

veram; DEUS enim ipsa veritas est, & a veritate nil nisi verum, propterea indubitata fides ipsis adhibenda. Quæ autem *Somnia* sunt *diabolica*, fugienda maximè sunt, quia præstigiis & mendaciis plena sunt, & obscuritatem & dubitationem habent multiplicem. Satan pater mendacii est, & non potis est quicquam veritatis ostendere, sed mentes hominum fallacibus concitat visis, nunc apertis & claris, nunc tortuosis & obscuris. Zoolog: Sperl: pag: 108. 109. idcirco præcipit DEUS Deut. 18. ut fides illis non adhibeatur. Porro *Somnia animalia* pleraque sunt prorsus vana & nil significantia: Phantasia enim actiones præteritas vel repetit tantum, vel multis confundit modis, Ergo de illis non est *πρόβλεψις*, quia solum respiciunt præterita, diximus pleraque, hanc ob causam; quia ad animalia in superioribus retulimus *Somnia*, quæ ad aliquem animi affectum vel perturbationem spectant, ex iis autem nobis augurari licet, quæ passiones animi intus vigent, ideoque sunt

σημαίνει. Deniq; *Somnia naturalia* observatione sunt dignissima: ex iis enim cognosci possunt interna corporis constitutio, morbi & sanitas; sic qui stare sibi nuper videbatur in cisterna sanguine plena, sanguinis evacuatione egebat ob plenitudinem. Qui somniat rixas, pugnas, cædes, incendia, divinare potest de exsuperantia flavæ bilis. Qui somniat tenebras, caligines, atros fumos, conjicere potest humorem Melancholicum abundare. Qui somniat aquas, navigationes, balnea, prælagire potest abundantiam pituitæ: *Somnia* interdum, quia temperamento & humori abundantia sunt analogia, conjecturam præbent manifestam de ratione valetudinis & causis morborum.

MEMBRUM IV.

§. I.

Operam nos perdituros non existimamus, si coronidis loco apponamus, quomodo circa oblata *Somnia* nos gerere debeamus: sit itaque I. Si *Somnia*

mnia quæ nobis accidunt sint bona, verbo DEI non contraria, rogandus est DEUS ut compleantur: si verò mala, humilimis & ardentissimis DEUM sollicitabimus precibus, ut liberet nos ab omni malo, & vires sufficientes domandæ rebelli nostræ carni ex summa sua gratia largiatur. 2. Debemus summo nisu in id incumbere, ne multa somnietur eaque mala, quod fiet, si vitæ Christianos decenti, & virtutibus Christianis dignis diligenter studeamus. 3. Affectus immoderatiores & vehementiores sunt frænandi, & rectæ rationis imperio subjiciendi, qui non coërciti varios motus in cerebro & phantasia excitant. 4. Nec nostrum corpus mortalitati obnoxium nimis potationibus & commestationibus est onerandum: proinde erit nobis cæna brevis, ut simus per noctem leves: aliàs namque crassities humoris hinc exoriens, perturbidum reddit cerebrum. 5. Quotidie foveamus cogitationes divinas & honestas, ut circum-eunti Leoni illi rugienti nos tentandi præ-

præcidatur occasio, induendo armaturam DEI. Rom. 13. Et cubitum euntes spiritus administratorios à DEO imploremus, qui ad fores animarum nostrarum custodiam agant, nè Diaboli tentatio, & carnis concupiscentia intromittantur. 6. Si hisce rite peractis, Diabolus, minus desistat ab obscænis & impuris ciendis in nobis somniis, quod permisso DEI interdum accidere potest, deferemus Somnia ista Christo JESU, & peccata nostra ejusmodi Somniorum causam, pœnitentiæ lachrymis abluemus. sic

Tetigit nunc portum Cymbula nostra suum;

Proinde velis contractis, iterum ad Te, C. L. confugimus, summo opere contendentes, ut si aliquos deprehenderit scopulos, ad quos allisimus, eos æquo inspicias animo, haud ignarus, prima vice navigantibus multa occurrere monstra, quæ territum & dubium reddunt animum.

SIT UNI TRINO, GLORIA SUMMA DEO!

Den

Ehreborne/ Hederlige och Wallårde
Herr ALEXANDRO MODELIIN,
När han sitt wähl författade arbete/
om Drömmers natur och art/
lått i liuset komma.

När som en ijdug Swån/ förstån-
det sitt kan öka/
Då han af hiertans lust/ med alf
war weet att söka

Den dyra Ring/ fatt/ som winner
altid prijs

Uf kirdom/ fast en tock der åth will
giöra gliff:

Det wiisar ofelbart/ med all som stör-
sta heder

Herr Modeliin, som är beprydd med
wackra seder/

Nu

Nu han en twiflar på / at fram i liu-
set dra /

Det som den diupa sönn / i följe sitt
plår haa.

Hwarför ett stoort förstånd / man bör
hoos honom skatta /

En wettskap af den art / som dolda ting
kan fatta.

Jag säger till ett slunt / att J så wac-
ker lödn /

Ty Musæ gi wa Ehr / en fransk af Pa-
ger grödn.

Deße enfaldige rader
myckit förhindrad lem-
nade i största hast

HAQ: BZURBECK.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT OF THE

COMMISSIONERS

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO

FOR THE YEAR

1890-91



MS Rv 5600